CHRISTANI LVCARDII VICENTINI CARMINA.

Permiſſu Superiorum.

VICENTIÆ,
Ex Typographia Hęredum Dominici Amadei.
MDCXXVII.

BIBLIOTECA

AD COMITEM
ÆNEAM CLERICATVM
I. V. D.

EMA. VITTORIO BIB. IN ROMA

Chriſtanus Lucardius.

TE noſtrum, CLERICATE, decus, pia Muſa patronum
Poſcit, & , vt faueas, pagina ſacra rogat.
Perlege, non ægrę inuenias hic ſomnia mentis,
Non Paphon, atque Gnydon, nomina vana leges.
Vranie hic MARIA eſt: dedit hæc in carmine vires,
Adfuit æthereo Diua vocata Polo.

VIRGINIS ergo alacer tutare, ò Maxime, Vatem;
Vindice te, metuat lędere dente Theon.
Hoc pietatis opus. Iactet ſe Troius Heros,
Auſoniosque inter tollat ad aſtra caput:
Fictos ille Deos Latio, tu pignora Cœli
Tuta dabis, Diuum carmina grata choris.
Sit pius Æneas; certè MORTALIA non ſunt
Munera diuinis æquiparanda bonis.

AD DEIPARAM VIRGINEM

MONTIS BERICÆ.

O Quæ micanti ſidere clarior
Internitеſcis, BERICA, terminos,
Lympha perenni quos virentes
Bacchilio, Erethenuſque lambunt.
Rupes, Olympi delicijs pares,
Colleſque aprici, Virginis hortuli,
Cælo relicto, quos frequentant
Angelicæ in numerum catervæ:
Sanctos, potentes, vos populi piæ
Voces ſalutant, verticibus ſacris
Intaminati ex quo pudoris
Virgineus Thalamus refulſit.

Vos cum liguſtris, cum violis, pede
Nudo puellæ, cum pueris ſenes
Pæana lętum concinentes
Sæpe premunt, genibusque adorant.
Hinc nanque, toto Cælicolum choro
Plaudente, pleno diuitias ſinu
Regina fundit, cuius alma
Frons nitidis redimitur aſtris.
Hæc Ciuitatem tabida quam lues
Fœdarat, hauſtis ciuibus, vltima
A' clade ſeruatam, nitori
Reſtituit, veterique formæ.
Hæc vota amicis auribus excipit,
Caſtè precantes auxilio iuuat,
Arcet periclis, & iacentes
Diua leuat, recreatque dextra.
Iure ergo Templum, marmore prænitet;
Latè coruſcis veſtibus & micant,
Votiuo & auro tecta, & aræ
Gemmiferis radiant lapillis.
O ſi tenaci compede, qua ligant
Me curæ inanes, ſoluar, & in iugis
Siſtar beatis, inque opaco
Mi liceat recubare dorſo:
Quæ digna Cælo carmina, quæ canam?
Caſtis ſacellis munera quæ feram?
Quæ ſerta nectam? quas corollas
Parietibus, foribusque figam?

Sed

Sed quis repentè ò mentem agitat calor?
Quod numen æſtro corda ferit nouo?
En, qualis alta regnat Aula,
Ætherij Genitrix Tonantis.
Partu verendo, Maxima Virginum;
Sperata Terris gaudia quę Deum
Lęta edidiſti, ſalue, & adſis
Diua tuis precibus Clientis.
Terrent prioris temporis heu graues
Lapſus, profanos cùm cecini Deos,
Nymphasque demens, & loquaces
Percolui fidibus Camœnas.
Heu ſtulta Vatum Numina, deuium
Quò me tuliſtis? quò melior mei
Pars fugit? ò quis me imminenti
Tiſiphones rapiat flagello?
Tu, cui profundi Regia Tartari
Paret iubenti, quam tacitę ſtygis
Horret Tyrannus, quam cruenti
Eumenidum metuunt Colubri;
Orci pauentem ſubtrahe faucibus,
Inſtabit atro bellua centiceps
Cùm dente, dirumque omne in auſum
Supplicium minitans tonabit.

Ad Montem Summanum DEIPARÆ VIRGINI dicatum.

SVMMANE, inferni quondã Domus atra Tyranni,
Virginis auguſtæ ſedes nunc æmula Cœlo:
Clarior & Pindo fulges, & maior Olympo,
Ex quo te Stygijs ereptum Manibus Heros
PROSDOCIMVS Mariæ aſſeruit, propriumq; dicauit.
O mihi ſi liceat ſacros penetrare receſſus,
Semper vbi Angelicis concentibus antra reſultant,
Te quibus attollam numeris? quo carmine donem?
Tunc auſim Latios inter me tollere Olores
Præpetibus pennis, liquidumque per aera vectus,
Per populos, Vrbesque tuum diſſundere nomen.
Te ne ego tranſiliam tacitus? Tua terque, quaterque
Reptaui iuga celſa puer, facilisque, volensque
Oſcula libaui ſaxis: tum vertice ſummo
Succiduis genibus ſupplex, manibusque ſupinis,
Concepique preces, Diuamque in vota vocaui.
Da pia, da Mater, tranquillę tempora vitæ,
Et ſapere, & fari, & nulla palleſcere culpæ.
Audijt illa animo non aſpernata precantem.
Hinc lęti fulſere dies, nullique ſenectam
Turparunt morbi, aut ſanam mala gaudia mentem.

Hac

Hac Duce ſublimes animus ſurrexit in auſus;
Cùm BERICOS cecini votiuo carmine Colles.
Iure ergo has grates, atque hæc præconia laudum,
Mons ſacer, hunc humiles templis ſacramus honorem.
At tu, cui celeres famulantur in æthere Mentes,
Quæ aligerum ſtipata choris ſpatiaris Olympo,
Deliciæ Diuum, magni Regina Tonantis,
Adſpice, & extremis faueas, caſtiſſima, rebus.
Iam vocor ad Tumulum, ad cineres, cinis ipſe futurus:
Iam premet hos oculos cæcis Nox longa tenebris:
Alma Parens, viden vt ſæuos mihi Cerberus angues,
Sibila colla tumens, tetro minitetur ab Antro?
Hunc tu adamanteis vinctum compeſce catenis,
Meque volens, Virgo, ſtellanti contege PEPLO.

AD DEIPARAM VIRGINEM Leonicenam.

TEr tibi Diua, preces, ſacris, ter debita Templis
Dona fero, ſupplexque tuum ter Numen adoro.
Si memor audiſti dias reſonantia laudes
Carmina, quæ Bericis fixi mea vota Columnis:
Si mox dignata es, ſummo quæ vertice ſeruat
Nomina SVMMANVS, noſtris celebrata Camœnis:
Tertia, quæ pietas ponit, cape munera, Mater,
Quæ LEONICENIS placeant, memorentur, amentur.

Nam

Nam quæ alia huic Populo fuerit nunc gratior vlla;
Quàm ſibi quæ MARIÆ præſcripſit pagina nomen?
Hanc pueri, innuptęque canent ſine labe puellę,
Hanc recinent Iuuenes, manibusque, ſinuque fouebunt.
Inde alij referent pictę miracula Formæ,
Sacrilegamque manum, lędentem vulnere quondam
Læuum oculum DIVÆ, ſparſoque cruore madentem
Effigiem ſacram, lachrymis, atque ora rigabunt.
Fas fuit, Alma Parens, ſcelerati membra Latronis
Perdere, & æternis Erebi damnare tenebris.
Plectere ſed neſcis, veniam pacemque nocenti
Vltrò offers, Natumque rogas, ne ſęuiat vltor.
O pietas iure ante omnes memoranda triumphos.
Hinc tibi conſpicuum, Virgo Auguſtiſſima, Templum
Mille virum ſtruxere manus, quò ſępe, relictis
Ædibus, indigenę adproperant, cupiuntque morari,
Virgineamque Domum, & caſtos habitare Penates.
Vndique concurrunt, & quos malè torquet Erinnys,
Quique oculis capti, clauſis quique auribus orti,
Ignea queis feſſos febris depaſcitur artus,
Atque alij innumeri; optatam quibus omnibus affers,
Omnibus impertis mira pietate ſalutem.
Ergo alacres tenduntque pias ad ſidera palmas,
Et grates referunt, cumulantque altaria donis.
Aſt ego ſemotus ſpatio, ac regione viarum,
Cui genua ægra labant, frigentque in corpore vires,
Te numeris, Regina, meis, precibusque, ſaluto:
Te Matrem, Dominamque voco: Tu, Diua, precantem
Exaudi, & caſus releua mitiſſima noſtros.

Hoſtiles animos, inſanum auerte furorem,
Temporaque occiduæ facilis da ferre ſenectæ,
Vt tua perpetuo attollam miracula cantu.

Ad Deiparam VIRGINEM ROSARII.

ACcipe, diuitibus quæ Rhenus miſit ab oris,
Lilia, purpureas & ſine labe roſas.
Floribus his Cælum cæleſtem præbuit Ortum:
Cinge volens nitidum Virgo verenda caput.

Alijs Verbis.

NOn hæc Idalijs naſcuntur lilia campis,
Non tulit has Amathus, non Paphos alta roſas.
Elyſium hos genuit flores, hos ſparſit Olympus
Nectare, & æternum iuſſit habere diem.

AD VLPIANVM A VVLPE

Medicum, & Philoſophum.

Chriſtanus Lucardius.

INclyta progenies, PAVLI generoſa propago,
Munere amicitiæ forti qui pectore fungens,
Tela retorſiſti, dirum minitantia vulnus,
Quas tibi perſoluam grates, quę digna rependam
Pręmia promeritis? referam quos gratus honores?
Non mihi Phœbęas & Smyrna, & Mantua lauros
Si nectant, moueantque nouem noua plectra Sorores,
Egregij poſſim facti pertexere laudes.

Iam

Iam cedat Liuor, cedat gens aſpera Muſis:
Tu nos hoſtili ab rabie, morſuque maligno
Protegis, ac patria tectos virtute tueris.
Theſea Pirithous vix talem ſenſit amicum,
Vix fuit Hęmonius iuuenis tam fidus Oreſti.
Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Vlla nec officij capient obliuia mentem.
Quòd ſi quid poterunt venturis carmina ſeclis,
Te pia poſteritas, animum mirata, fidemque,
Inſeret antiquis æui melioris amicis.
Tu modò perge Decus ſcriptorum grande meorum,
Perge volens, memoremq; memor defende Camœnam,
Quæ tibi ſe addicit, quæ tanto ſpondet Alumno,
Perdomita inuidia, æternę ſibi tempora famæ.

AD ALEXANDRVM BRASCVM I. V. D.

TE ſine non auſim tenues vulgare Camœnas,
Nominis ò fautor, candide BRASCE, mei.
Scriniolo potius lateant, cęciſque tenebris,
Quàm videant clarum, te renuente, diem.
Quę tu Caſtalio perfuſus rore probaris,
Tercentum vincent carmina Olympiadas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Stephanum Triuiſanum Vicentiæ Prætorem.

NVnc mi canoram Calliope lyram,
Princeps Sororum Calliope, & Decus,
Fer plectra, blandum docta carmen.
Threijcijs reſonare neruis.
En mens recenti lætitia expetit
Terris relictis, per liquidas plagas
Ferri, ſonantes quà iugales,
Phœbus agit, volucremque currum.

Non

Non me minacis brachia Scorpij,
Cancerue aduſtus terreat, aut Leo:
Heroa ſtellis, & quieto
Concilio Superum locabo.
Partum beatis cùm edidit aureum
Lucina terris, diuitijs ferunt
Vndaſſe Pontum, quà refuſis
Adria præcipitat procellis.
Nato repente ex æquore Naiades
Duxere feſtas implicitis ſimul
Dextris choreas, & reflexus
In numerum petiere lętos.
Hic vix adultus moribus optimis
Formare pectus, diſcere Principem
Quæ diſciplinę, Ciuitates
Quis ſtatus egregias deceret.
Firmata poſtquam conſilio grauis
Acceſſit ętas, Iuſtitia, & Fides
Hæſere cordi, Virginisque
Pręcipuè pia cura ſacræ.
Huic ille Narciſſum, & teneros Crocos,
Calthęque florem, & mollis Amaraci
Suetus reuiſens ferre, & aras
Illius accumulare donis.
Nunquam hic ſuperbum tollere verticem
Auditus altum, quamquam Atauis genus,
Manſura in æuum atque Vrbs perennę
Dent animos, facilesque vires.

Non hunc ſecundis ſuſtulit Antij
Regina rebus, largiflua manu
Cornu refundens, non minaci
Terruit impauidum flagello.
Non dira grando hunc propoſito queat
Recto mouere, aut ſpiritus impotens
Surgentis Euri, non coruſci
Cœlipotens iaculator ignis.
Annoſa qualis rupibus arduis
Quercus, ſonoro turbine quam vndique
Fruſtrà ſtrepentes hinc proteruus
Africus, hinc Aquilo fatigant.
Ergo Italorum grande Decus ſoli
VICENTIA vlnis hunc cupidis fouet:
Ergo & parentem quiſque, & Vrbis
Præſidium, & Columen fatemur.
Hinc fama terris viuit in vltimis,
Quà tollit Eoo Occeano caput
Titan, rubentes & Quadrigas
Quà lauat Heſperijs in vndis.
Sed perge blandi ò pectinis arbitra,
Dum curæ, & aſper Tartara habet metus,
Terretque Ditis corda, & atros
Eumenidum exagitat Colubros.
Dicamus altam progeniem, inclytam,
Veſtris amicam fontibus, & choris,
Quam gaudet immani Barathro
Viuida ſurripuiſſe Virtus,

Hic nos, nitebit cùm rutilo caput
Olim Galero, cùm omnia plauſibus
Latè ſonabunt, pacis almæ
Munere perpetuo bearit.

Ad Ludouicum Ronconium Præceptorem, omni liberali doctrina politiſſimum.

AVdijt Erethenus cùm te LVDOVICE, canentem
Clara Triuiſani ſtemmata, lætus ait:
Nunc eat, & celebri iactet ſe Mincius vnda,
Dum meus ambroſio gutture cantet olor.

Ludouici Ronc. Reſp.

SI canos ſpectas circum mea tempora, Cicnus;
Si vocem attendis, rauca videbor anis.
Si color hoc, CHRISTANE, facit, clariſſimus olim
Virgilio cedat Mincius Eretheno.

In obitu Bernardini Luſci.

QVem blandæ Charites, quem dulces ſæpe Camœnę
Ambroſiò Puerum detinuere ſinu;
Incinctus Lauro hic vernantis flore iuuentæ
Fœlix virgineos emicat antè choros.

Non

Non hunc fas lachrymis vrgere, aut quærere Terris,
Æthere qui medio iam noua Stella nitet.
Stella nitet Cœlo, nec parua ſufficit Vrna,
NON eſt Terra ſatis, cui Polus eſt Tumulus.

Filius Patrem alloquitur.

NOn hic querelis mollibus eſt locus:
Fletus inanes comprime iam Pater,
Et mitte ſingultus: quid vſque
Te miſero gemitu fatigas?
Lætante Cœlo, en debita percipit
Vitæ innocentis præmia Filius:
Præcinctus aſtris nunc beatum
Purpureo bibit ore Nectar.
Abſterge vultus; ecquis erit modus?
Ne crede ademptum, quem pater ingemis:
Fœlix quieſcit, iam furentum
Deſpiciens hominum tumultus.
Sic præliantes Carpathio mari
Eurum, Notumque, & præcipitem Africum
Miratus, inſanis procellis
Nauita ſe eripuiſſe gaudet.
Hic non honorum lætitia inſolens
Se tollit: acer non animum metus
Perturbat; aut quiſquam doloris
Deijcitur furibundo ab æſtu.

Longè his Cupido finibus exulat,
Atque ira feruens ſollicitans iecur:
Hinc febris, & quidquid malorum
Tartareas agitat tenebras.
Hic fas, piumque, & Sancta Fides iuuat:
Nullus quietis aut labor, aut dolus:
Pax alma regnat, pax triumphat
Omnigeno ſpecioſa cornu.
Magni hic Tonantis ſunt penetralia,
Auro, lapillis, & radiantibus
Ornata gemmis, concinentes
Quà Angelicæ volitant cateruæ.
Ergo, has (potenti ſic placitum Arbitro
Rerum) tenentem diuitias Pater,
Has incolentem ſponte ſedes,
Parce pio reuocare luctu.
Virtute dignos indue ſpiritus,
Clarumque LVSCORVM adſpice quid genus
Poſcat, quid iſta ætas: benignis
Cede volens generoſe Diuis.

In obitu Comitis Angeli Porto, & Dorotheę eius vxoris.

ANGELVS ætherei rediens ad luminis oras
His Thalami Sociam vocibus ante vocat,
Chara veni, Dorothea veni, ne falle vocantem,
Vt, quos junxit amor, iungat & Vrna duos.

Cui

Cui Coniux; venio en tibi debita; nec moror vnà,
Qui cum dulce fuit viuere, læta mori.
Dixit, & vnanimem comitatur fida maritum,
Quà plaga cæruleum lactea pandit iter.
Viuite fœlices, quibus vnum velle duobus,
Vnum nolle dedit pacis amicus Amor.

In obitu Comitis Aloyſij Porto Cataphractorum Ducis.

OCcidis (heu) generoſe Heros, quem ſternere ferrũ
Non miles potuit, non potuere Duces.
Occidis exciſus morbo: RES Portia tecum
Exciſa eſt, Trunco quæ ſtetit alta tuo.

Ad Comitem Paulum Porto Equitem.

INdue, PAVLE, decus, Regis monumenta potentis,
Conueniunt humeris regia dona tuis.
Scilicet effulgens, tantoque inſignis honore,
Clarus Eques renouas ſtemmata clara Patrum.

In obitu Comitis Iacobi Valmarana Equitis.

DIcite fœlices animæ, queis celſa Tonantis
Regia, queis Cœli tecta minora patent:
Quis nouus Ætherias hoſpes conceſſit ad oras,
Aduentuque tulit gaudia tanta ſuo?

VALMARANA, choris iam pridem debita noſtris
Lætitia, & generis ſpes, columenque ſui.
Purior haud quiſquam, aut pietate inſignior alter
Auxit ſiderei ſidera magna Poli.
Clarus Eques fuerat, Regi dilectus Ibero,
At Regum Regi nunc magè charus adeſt.

Ad Comitem Iulium Cęſarem Valmarana, Equitem.

TVrpe eſt, ex alijs medicinam quærere luctus;
Dat ſibi nam ſapiens vulneris auxilium.
Iulius en Cæſar ſe ſe, Natumque iacentem
Conſilio, atque alto ſuſcitat eloquio.
Quiſquis es, aureolum, Lector, perdiſce libellum,
Fortunæ diſces ferre ſupercilium.

Ad eundem.

IMperia, & magnos potuit memorare triumphos
Cęſar, at in Patriam tela cruenta tulit:
Tu monumenta feri, Cęſar generoſe, duelli
Euoluens, pacis fœdera ſancta doces.
Quò melior bello pax, hoc tua gloria maior:
Bella nocent: pacis munera læta iuuant.
Seruati Ciues, bello ſub Tartara miſſo,
Conſtituent meritis clara trophæa tuis.

Ad Bar-

Ad Bartholomęum Burchelatum Philoſophum, & Medicum Taruiſinum.

CArmina ſi incluſum poſſent haurire dolorem,
Si charas lacrymæ reddere delicias;
Burchelate, tuas canerem, miſerande, ruinas,
Deflerem Nati funera acerba tui.
Sed non Aoniæ proſunt, pia turba, Sorores,
Nec decet indignis ora rigare modis.
Ex te igitur ſumas duri ſolatia caſus,
Ipſe tibi tanti ſis medicina mali.

Ad amicum, qui Logicę, ac Philoſophiæ librum ediderat.

QViſquis in vtramuis validè contendere partem,
Et Logicæ laqueos ſoluere ritè cupit:
Quiſquis amat Sophiæ obſcuros cognoſcere ſenſus,
Et cupida ætherios ſcandere mente Polos;
Hunc legat, ambroſio ſudantem nectare librum,
Hinc Logicus fiet, maximus atque Sophus.

Ad Vincentium Grimanum Vicentiæ Prætorem.

BElla alij, molliſque canant Trieterica Bacchi
Orgia, VINCENTI, te pia Muſa decet.

Vincis enim pietate Numam, non ficta colenda
Numina; ſed veri myſtica ſacra Dei.
Ægeriam ille adijt populo mirante Quirini.
Virgineæ ſcandis tu iuga celſa Domus.
Virginis ergò cliens faueas, GRIMANE, precanti;
Audiat vt cantus Diua benigna meos.

Ad Diodorum Cattum, Philoſophum, ac Medicum.

SI ſcire, & facere efficiunt nos eſſe beatos;
Grande decus Sophiæ, non te eſt fęlicior alter;
Qui facienda facis, quæ ſunt fugienda, repellis.
Viuis enim, tanquam moriturus; nec metus vrget
Te Mortis: MORITVR quiſquis, virtute relicta,
Tectus habet vitijs ſeruum, mentemque malignam.
Hi furias horrent; tenebroſa hos Tartara terrent,
Qui deſiderijs faciunt ſatis, atque perennis
Tempora promittunt vitæ ſibi: pondera Terræ,
Obſcuræ Mundi maculæ, Plutonis auari
Pabula. Sed redeo, vnde abij. Pius, officioſus
Cùm viuas, contentus eo, virtute paraſti
Quod tibi; Fortunæ, ac Vulgi contemptor inanis;
Magnarum rerum prudens, ſectator honeſti;
Quis dubitet, quin ſis ex omni parte beatus?
Quis nunc miretur, te ferri protinus vltra
Naturas humiles, ſublimi pectore Cælum
Concipere, ætheriasque plagas percurrere ouantem?

Inde illi Ambroſiæ ſucci, queis ſubtrahis Orco
Iam conclamatas animas, iterumque potiri
Das luce optata, ſuperis & veſcier auris.
Iure ergo tantis fulgentem inſignibus omnes
Te, Diodore, colunt, meritis & laudibus ornant.
Aſt ego non vno deuinctus nomine, quid iam,
Quid memor officijs dignum, grat uſque rependam?
Quamquam quid dubitem, Phœbum, Muſaſque colenti
Mittere Muſarum fœtus? Ergo accipe, dulces
Quæ mihi dictarunt, calamo famulante, Camœnę,
Obſequij veteris monumentum, & pignus amoris.

In die Luſtrico Vincentiæ Catharinæ Priolæ Ciuitatis nomine.

O' Quam te memorent, Priolę clariſſima Gentis
Progenies, ſacro geſtant dum fonte lauandam
Magnanimi Ciues? Hominem vultusque, iubarque
Eſſe negant: Aſt eſſe Deam te, fasque, piumque
Intemeranda vetant. Quid te VINCENTIA dicet?
Vnam inter Latias Heroidas Heroinam,
Quæ veteres Latias, Graiasque Heroidas ornes.
Si felix, noſtrique memor (quęcumque) Puella:
O Decus, ò VENETVM nuper LVX addita Cælo!

Ad Dionyſium Vincentium Delphinum Infantem Vaticinium.

TE Decus eximium Delphinæ Gentis, Auorum
Sanguine ab antiquo longus cui texitur ordo,
Dum meditor, video, clarorum facta Parentum
Egreſſurum olim. Cerno, iam cerno; ſuperbum
Tot populis, terriſque metu trepidare Tyrannum,
Regnatorem Aſiæ pacemque expoſcere, & vltrò
In leges iurare tuas, poſitiſque pharetris,
Æquoris Adriaci DOMINÆ parere potenti.
Tum Rhenus, Rhodanuſque celer, tum diſcet Iberus,
Libera quid virtus, Delphinaque dextera poſſint.
Cætera ſi fuerint, veſtra ſub Gente reſident
Bella, nec audebit quiſquam temerare Triumphos:
Tantus eris, tantaſque feres in prælia vires.
Ergo ades, & noſtrum interea ne deſpice votum
Blande Puer, magnum Patris, & Patriæ incrementum.
At vos (quod facitis) concordes ducite Parcæ,
Ducite felici candentia Stamina NATO.
Nunc implete colum, grauidos nec ſiſtite fuſos.
Hoc opus, hos vltrò laudarit Iuppiter orſus:
Annuite, ò Diuæ; certè annuit Augur Apollo.

AD ALEXANDRVM MARASSOTTVM Medicum, & Philoſophum.

Chriſtanus Lucardius.

DVm vigili, at placida ſapiens cum mente volutas,
Optime Alexander, nil tandem proſore vitam,
Hæc niſi ad exemplar ducatur tota perennis
Vitæ, quam niuei peragunt ſuper æthera Manes:
Iure tuos ſenſus efformas, vt nihil vltra,
Nil citra recti fines ſpatientur; id vnum
Spectans, quod deceat die virtutis Alumnum.

Hinc

Hinc iuuat in Sophiæ ſacris palleſcere chartis,
Et iuuat abſtruſas rerum cognoſcere cauſas:
Cur, quantum à radijs fraternis Luna recedit,
Hoc magis igneſcant vultus: Phaetontide luce
Fulgeat, an proprios terris diffundat honores.
Quid maculis obducta genas nigreſcat, & ora;
Interdum niteat flammis, atque igne coruſcet.
Cur medium Cœli ſpatium Sol ipſe quadrigis,
Ambiat auratis, medias atque ætheris oras.
Cur Pater omnipotens, Mundi inuiolabilis auctor,
Hunc olim luci prçfecerit, atque moueri
Illius ad numeros immenſum iuſſerit orbem.
Cur ita ſcintillent ſtellæ, quis prouidus ignem
Gentibus intulerit, diuini muneris vſum.
Denique quis fluuijs ortus, cur æquora tantis
Fluctibus inſurgant, pelagi poſt concidat omnis
Ille fragor, placida & ponto mox vnda recumbat.
His ſtudijs animum paſcis, dubiumque relinquis,
Doctior, an melior diſcedas. Emicat ardor
Nobilis ingenij: Doctrinæ læta per Vrbes,
Per populos volitat meritorum fama tuorum.
Sed pudor, & pietas, mores, probitaſque, fideſque
Doctrinam illuſtrant, purum velut aſtra Tonantem.
Ergo nec ambitio, ſtolidi nec opinio vulgi,
Non ventoſa trahit te vinctum gloria curru.
Non turpis lucri, cçdis non dira Cupido
Exagitat pectus, tacitus non concoquis iras.
Virtus ſola placet, quæ cunctis vnica rebus

Anteit,

Anteit, immeritiſque mori Cœli alta recludit
Atria: digna tui merces, pretiumque laboris.
His ego deuinctus cauſis te, Maxime Alumne,
Te decus inſigne, ò Graiæ, Latiæque Camœnę,
Verſibus eſſe meis optaui iure Patronum.
Tu inuidiæ morſus acres depelle rogatus,
Dum mea Muſa parat plenos tibi texere honores,
Et ſtudet æthernis famam producere ſeclis.

AD FABIVM PACIVM, Medicum, & Philoſophum.

PAucis dat cinis, vt virum per ora
Defuncti volitent: tibi at perenne
Iſtud vita, FABI, dabit peracta,
Edes ſi populo tuos libellos,
Poſcenti toties, & exigenti.
Illos ne, precor, audias miſellos,
Qui cum nil animo queant parare
Dignum laude; tamen ſolent ineptè
Ipſi dicere: GLORIAM ſuprema
Poſt fata, & cineres venire aduſtos,
Hoc dicunt ceciniſſe Martialem,
Viuis cùm queritur ſuis negatam
Famam temporibus, nouiſque ſemper
Prælatas veteres fuiſſe chartas.
Viuus ille tamen ſuos libellos
Edidit, famulantibus Camœnis.
Quare notior Orbe Martiale
Toto nullus erat, viriq́ue tota

Et ſales lepidos, facetiasque
Legebant iuuenes, ſeneſque Romæ.
Phœbo ſic quoque tu auſpice, & Minerua,
PACI, profer opus, ſacras profundæ
Mentis diuitias. Tibi perennis
Fama quæritur. An bonis locatum
Tempus in ſtudijs ſines perire?
Vrbem, teque ſimul, ſimulque noſtrum
Seclum orna nitidis tuis libellis.

Ad Eundem.

TEcum ſuauiter, atque delicatè
Iampridem cupio diem perennem,
PACI, viuere, ſi negociorum
Dura compede me queam explicare.
Verùm tu caue per tui Galeni,
Et per Hippocratis, Fabi, libellos,
Ne fortè aut veteris tui Falerni
Me deſiderio putes teneri,
Aut Galli magè, quem te habere dixti
Paratum lepidè, venuſtuleque.
Nam mi ſic Heliconiæ Puellæ,
Et Phœbus pater vſque vel trecenta
Pluſquam Pierio furore dictent
Epigrammata melle dulciora,
Semper munera Liberi ſeueri
Vt fugi, nimiumque ſumptuoſas

Cœnas.

Cœnas. Me potius tui elegantes
Mores, literulæ, iocique dulces
Prorſus alliciunt ſuo lepore.
Ergo, dum veniam, rogo, tenellos
Muſa verſiculos Horatianæ,
Seu magis placeat, Catullianos
Centum melliculos pares Iambos.

In Gallum ab eodem lepidè paratum.

QVis non Ambroſiæ tuum ſaporem
Longè præferat, omnium ciborum
Iucundiſſime Galle? quis Deorum
Curet accubuiſſe, Galle, menſis?
Galle, nectare ſuauior, quis vnquam
Te tam condijt aptè, & eleganter?
Sic eſt: te pater omnium leporum,
Qui me participem tui libenter
Fecit, te FABIVS ſuis parauit
Conditum ſalibus, facetijsque.
Vos tollam Hendecaſyllabis, tuumque
Saporem meditabor vſque, & vſque,
Præſtantem Ambroſiæque, Nectariſque.

BIBLIOTECA

Fabij Pacij Ode
Ad Chriſtanum Lucardium.

SVnt, qui naufragum mare
Percurrunt, procul & viſere nobiles
Vrbes, regnaque diſſita
Gaudent; aſt alios æra minantia,
Clangorque horribilis tubæ,
Et bellorum acies ſanguineę iuuant.
Quà incerto ſubiens necem
Pro Rege haud dubiam Gallus Iberiam
Ardens, & Latium vocat
In partem imperij, cladis & vltimæ.
Aut quà Threijcium caput
Victrix Auſtriacum dextera conterit.
En ille irriguis fouet
Vndarum ſcatebris prata virentia;
Aut è luxuriantibus
Lętas arboribus falce ſecat comas.
Aut nunc à tenera pyro
Expectata diu poma legit manu
Quam ſeuit propria, & noua
Terræ munera Dijs primitias dicat.
Nos inter fera febrium
Monſtra, & tabificis hauſta doloribus
Membra, & quidquid Atrox vomit
Styx ore, Iapeti conficiens genus

Verſamur; reuocat ſatus
Quos Phœbo ſtudijs à patrijs procul.
At tu Theſpiadum choris
Addictus, facilem dum tibi temperas
Hinc plectro, hinc digitis, lyram,
Et dulci meditans voce modos facis;
Iam iam Pindaricum melos
Æquas, & Lyricis carminibus ſuam
Lucem reſtituis, diu
Lethæis tenebris antè reconditam.
Fœlix ò, Heliconios
Qui ſaltus peragras, atque Aganippidos
Fontis iam latices potes
Pleno haurire ſinu. Labitur aureus
Hinc latè liquor, & fluit
Diues vena tui fertilis ingeni.
Iam Peneia Cinthius
Gratus ſerta ſacris temporibus parat.
Heroum validas manus,
Et deiecta nigris fulmina nubibus,
Summus queis Genitor ſolet
Deterrere hominum corda nocentium,
Perge ò maxime dicere;
Hæc ſit digna tuę materies lyrę.
Aut ſi Pæonias libet
Artes carminibus tollere, Gellius
Implebit numeros, neque
Te res in medio deſtituet pede.

Tum

Tum te gloria præpeti
Curſu ſidereas ducet ad orbitas;
Dum Cyllenius artifex,
Signato ære hominum, & facta Deum premet,
Euoluenda Nepotibus:
Almę dum Cereris munera Liberi
Spumans excipiet cruor:
Dum Sol ætherijs flectet equos plagis.

Chriſtani Lucardij Ad Fabium Pacium Reſp.

POſcis, relictis, Docte Fabi, iocis,
Thorace Martem tectum adamantino,
Dira & cruenti facta Pœni
Treijcia vt referam Camœna.
Quis parua laxis vela rudentibus
Inſanienti tradere Boſphoro,
Certus pericli, & Maleæ
Audeat horriſonis procellis?
Quis Dædalei non memor Icari,
Pennis negatis, ſidereos velit
Tentare tractus, æſtuoſa
Nomina Carpathio daturus?
Terret, Sorores quem Clymeneides,
Vultusque cæſę, pectoraque vnguibus;
Fleuere, puro dum bicornis
Luna quater latuit Tonanti.

Tu, ſauientes ponere qui potes
Fluctus, canoro pollice dum chelyn
Tractas eburnam, peruicaces,
Cùm libet, & remoraris Auſtros;
Committe Thyrreno impauidus mari
Nauim, profundi cui bene cognitus
Vſus, nec Eurum horres furentem,
Nec Boreæ rabiem proterui.
Plectro ſonanti tu referes Iouem,
Telo triſulco cùm genus impium
Titanas, immanemque Rhetum
Suſtulit, Enceladique molem.
Tu non pauentes funera concines
Gallos, Philippum ſeu cupiant magis
Rerum potiri, ſeu qui Iberas
Impiger vſque acies fatigat.
Æternitati te VENETVM decus
Nomenque neruis Pindaricis decet
Sacrare, victricemque dextram,
Qua indomiti cecidere Turcæ.
Quos tu volucres carmine Lesbio
Tolles, per altas ætheris hinc plagas
Læti euolabunt, quà coruſco
Concutitur Iouis Aula curru.
Nos nec minacem Palladis Ægida
Conabimur, nec dicere nobili
Iam iam irruentes barbarorum
Sanguineas Latio cateruas.

Non

Non fas iocoſo pectine Barbiton,
Pulſare, triſtis dum ſonitus tubæ
Perſtringit aures dum fugaces
Cornua equos, equitumque terrent.
Hic in remoto gramine, pendulos
Quà pinus ingens cum platano explicat
Ramos, Dionæo ſub antro
Nyctileum Bromium canemus.
Hac inter adſit, vina benignius
Promens auitis Gellius amphoris;
Obliuioſo qui Falerno
Me egelidis beet vſque in vmbris.

Ad Hieronymum Ferramuſca I. V. D.

FERRAMVSCA, tui Decus Clientis,
Nuper quem proprio tibi addidiſti
Deuinctum officio, nouaque prorſus
Iuuandi ratione, quas, PATRONE,
Quas agam tibi gratias, quibusque
Verbis? Non equidem queam referre;
Non ſi vel Pylij ſenis, ter æuo
Functi, ſæcula vincerem, vel annos
Eius, qui roſeis cubans in vlnis
Eoę placuit puer puellæ,
Quid ergo? immemor, ac volens ſilebo
Tanti pignus amoris? Haud paternum

Hoc darem. Genuere nam Parentes
Me talem, & puerum boni magiſtri
Formarunt docilem vſque præmonentes,
Acceptum officium vt memor tenerem,
Ferrem laudibus, atque prædicarem,
Ergo antè auricomus citis quadrigis
Sol per punicei vias Tonantis
Equos flectere deſinet; priuſque
Extinguet radijs diem nitentem,
Cæcas Gentibus inuehens tenebras;
Quàm te, Præſidium meę Camœnæ,
Indictum patiar meis libellis;
Tuum & promeritum ſinam latere,
Grato Pieridum ſonante Plectro.

Ad Laurentium Marcheſinum I. V. D.

LIpſius in græcos quid ſcripſerit, atque latinos
Hiſtoricos, ſcire ardeo; nec tibi, candide amice,
Ignotum, Iuſti libros qui ſpontè benignus
Promiſti, vt poſſim dulces haurire liquores,
Atque animi ſedare ſitim noctesque, diesque;
Dum tu veſanas, iuris, legumque peritus
Aut lites reſecas, aut (quæ tua copia ſaudi)
Eloquio oblectas magnorum corda virorum.
Ergo illos mitte oratus; miſiſſe iuuabit,
Quidquid erit, nuſquam aut melius ſeruauerit alter,
Aut citius reddet poſcenti. Crede, tenellam
Non ita amet, ſi quis potiatur fortè, puellam.

Am-

Amplectar, manibusque tenens ſimul oſcula iungam:
Illis blanditias, illis mea ſeria dicam:
Roſida ſeu Cœlo gelidas Aurora tenebras
Impulerit, nitidum portans Terrisque, Deisque
Purpureo ore diem, ſiue igneus impleat orbem
Sol radijs, ſummo, & currum librabit Olympo.
Quin etiam Heſperias ibit cùm pronus in vndas,
Cumque hominum curas componet ſomnus auaras,
Alloquar, & lecto ſocios, gremioque fouebo.
Mitte igitur clari vigilata volumina Lipſi,
Optime Laurenti, Muſarum certa propago.
Sic tibi Caſtalios referent, ſua munera, fontes,
Vnanimesque nouem ſublimia carmina dictent,
Queis Maro, & æternus primas concedat Homerus.

Laurentij Marcheſini Ad Chriſtanum Lucardium.

Romæ Admiranda, & variè vt Gladiator arenam
Spargat, ſpectato: en Amphitheatra patent.
Veſtales ſpectato quoque: at ne tangito ſacras,
Si ſtimulant, fugito: Bibliotheca propè eſt.

Chriſtani Lucardij Reſp.

Nec iuuat in bibula trux me Gladiator arena,
Nec mea Veſtalis pectora tangit amor.
Sint alijs miranda, dedit quæ maxima Roma:
Me tua, Laurenti, Muſa diſerta beat.

Ad M. Antonium Romitum. I. V. D.

O Quę Caſtalium bibis,
, Dulcem quæ ſtrepitum pectinis aurei
Sacræ Phocidos in iugis
Aptans, Melpomene, delicias patri
Phœbo carmina diuidis:
Mecum, perſpicuæ quà trepidant aquæ
Riuis deſilientibus,
Inuitantque leues murmure garrulo
Somnos, huc ades, & noua,
Nondum audita doce, quæ modò concinam:
Adſis tu quoque, Gloria
Vatum, Pierij dulce decus chori.
Non expromere vocibus
Auſim tanta meis, te ſine. Tu graui
Mentem faſce leua, integris
ROMITE, Aonidum cognite fontibus.
Nam ſeu te Vranie tulit,
Eduxit tenerum ſeu Polyhymnia,
Certè numine dextimo
Naſcenti tribuit ſe tibi præſidem
Pindi è vertice Delius.
Ergo te vigili carmine concinam,
Siue Eos roſeis diem
Fulgens portet equis; ſeu tenebras ferat
Dilectus Paphiæ Heſperus.
Te mitis pietas, nudaque veritas,

Tenu-

Te nutrix Superum fides,
Te morum probitas, te ſapientia,
Conſtans rebus in arduis,
Diuum & relligio ſubſequitur comes.
His virtutibus omnium
Mentes concilias: his Stygis horridæ
Vitabis ſtrepitum: igneas
His arces feries vertice Cælitum.
Fælix ter quater vnicum
Noſtrum præſidium. Tu Latię lepos
Linguæ, cui ſimul Attici
Rores eloquij pectore defluunt.
In labris reſidens charis
Nectar læta tuis ambroſium liquat.
O qui Caſtalios lacus,
Amnes Theſpiadum qui cupitis ſacros;
Vobis Caſtalij hinc Lacus,
Hinc & Theſpiadum ſumite, dum licet,
Vndas, quæ aſſiduo beent.
Vos plenis calathis ferte citæ roſas,
Diuæ, progenies Iouis,
Vatique vnanimes cingite tempora,
Et Lauro auricomas comas.
Sic, ò cùm æſtiferos Sirius exerię
Ignes, non Heliconios
Contingat Latices, non Aganippidos
Fontes: non Satyri leues
Perturbent niuei gaudia pectoris.

HVNC vos & fidibus decet
Conſecrare nouis, carmine & integro.

Ad Alexandrum Maraſſottum.

EN tibi, Alexander, præſtantis munere amici
Iam licet optato pellere fonte ſitim.
Perlege, quæ veterum referans monumenta virorum,
Pandit in Auſonia Lipſius hiſtoria.
Scilicet hinc diſces Dominæ miracula Romæ,
Altius in toto qua nihil orbe fuit.
Hic Gladiatorum cernes ſpectacula, pompam,
Plenaque terrificis Amphiteatra feris.
Vltima Veſtales oſtendens pagina ritus,
Bibliothecarum nomina certa dabit.
Ergo age, Neſtoreos fęlix dic viuat vt annos,
Qui tantas nobis commodat vnus opes.

Alexandri Maraſſotti Reſp.

SI miror fines, acies, æraria, cenſum,
Innumeros ciues, claſſes, ſublimia tecta,
Auratas ædes, pingues menſaſque Luculli,
Theſauros Craſſi ingentes, & munera Regum,
Quęque nitent gemmis Cœlo certantia Templa,
Amphitheatra, Larem ſacrum, penetralia Veſtę,
Vrbis tergeminam molem, lętoſque triumphos,
Bibliothecarum numerum magnalia Romæ:

Fundere turgentes has cogor pectore voces.
Quas habet & Tellus, Ponti quas vnda recondit
Diuitias, Roma vna tenet, gazamque Deorum,
Integra quæ potitur fratrum Saturnia regna.
Regia nam primùm reſidet Iouis alta Tonantis;
Et Stygij ſedes ſpectatur nigra Tyranni,
Neptuni atque Domus ſplendet ſpecioſa lapillis,
Et ſimulacra Deum cunctorum opulenta refulgent,
Maxima queis cedant Epheſi monumenta Dianæ,
Et Mauſolei ingentis ſpectacula Busti,
Quod pietas perfecit opus, charitasque iugalis;
Et Rhodius Soli ſacer, immaniſque Coloſſus:
Iuppiter & cedat ſigno cęlatus eburno,
Phidiacæ felix ſolertis gloria dextræ;
Amplaque Perſarum Cyri palatia Regis,
Quæque Nini coniux ſtruxit miracula muri,
Clara Ægypti inſignia, Pyramideſque ſuperbæ.
Inclyta præcipuo at caruit tutamine Roma,
Quod fulcra imperio poſuiſſet firma ruenti.
Vnicus hoc poterat Sophiæ, & Virtutis Alumnus,
Quo nihil hoc noſtro ſplendeſcit clarius æuo.
Hic LVCARDVS erat, populus quo priſcus egebat,
Qui ingenij candore nitens, pietate decorus,
Doctrinaque potens, diuini Numinis aura,
Inſanos remouens mores, ritusque profanos,
Has potuiſſet opes tantas firmare cadentes,
Atque Orbis Dominam ſeclo ſeruare perenni,
Et tibi tempus edax fatales frangere dentes,
Quæque vices rerum variat compeſcere ſortem.

In diſceſſu Antonij Bragadeni Vicentiæ Prætoris.

Ad Michaelem Angelum Angelicum.

MEns cupit Aonidum dulces tibi promere fœtus,
ANGELICE, Aonij gloria prima chori.
Sed totum hoc ſtudium properans damnoſa Senectus
Abſtulit: en canum nix tegit alta caput.
Spiritus hinc tenuis, ſanguis meliorque receſſit,
Gratia non partum, non alit alma Venus.
Tu, cui dat faciles vires generoſa Iuuentus,
Quem Clio in tenero detinet vſque ſinu:
Sume alacer Citharam, lætus quam tendit Apollo,
Argutaque moue fila canora manu.
Tu egregium meditare Decus, demiſſaque Cœlo
Stemmata, queis Venetum gloria priſca viget.
Tradere manſuris Bragadeni nomina ſeclis
Te decet, & chartis inſeruiſſe tuis.
Hic flectit noſtræ ſublimes Vrbis habenas,
Nec, niſi ſons, quiſquam ſentit adeſſe grauem.
Nec verò aut hominum pœnis, aut ſanguine gaudet,
Supplicijs paſci, turpe, ferumque putat.
Iuſtitia hunc ſequitur; mite at Clementia pectus
Poſſidet: hic ſedes fixit amica ſuas.
Non hic maiorum titulos, non iactat honores,
Horum ſed laudes, inclyta facta refert.

Hunc

Hunc Fama Heroem tantis virtutibus auctum
Mirata ex alto hos edidit ore ſonos.
Hic ortum exiguis, multo & ſudore paratum
Latis extendet finibus Imperium
Quà premit & lucem Tethis, Aurora capillis
Quàque aperit roſeis, Sole micante, diem.
Conteret infidos, immania pectora, Turcas,
Tartareo quondam ſemina miſſa Ioue:
Aurea ſceptra feret, multo quæ rapta cruorē
Hoſtis habet; latum reſtituetque decus;
Huius cura Viri fiet, quodcunque tuetur
Veſper, & Eois Lucifer ortus aquis.
Hoc Duce, non Gallus pugnax, non auſit Iberus
Res tentare nouas, aut temerare fidem.
Non Parthus, gelidiue Scythæ, non Bactra, neque Indi;
Quæ dabit Adriacus, temnere iura, LEO.

Ad Alexandrum Maraſſottum.

Carmine dum culto Bragadeni ſtemma perornas;
Clarius & Solem poſſe nitere, doces:
Scilicet ambigitur, creſcat tua gloria; maior
Fiat an illius nominis altus honos.
Sic ænigma facis: quamquam ſi vera fatemur;
Nec tu ænigma facis, nec facis ambiguum.
Nam Cælo Heroem, te ſtellis inſeris: HOC EST,
Et ſapere, & Mortis temnere poſſe minas.

Ad eundem alijs verbis.

DVm decus Herois, clarasque Epigrammate laudes
Claudis, Alexander, dum pia facta refers;
Quæritur, anne prior volitet tua fama per Vrbes,
An magis ANTONI nomen in Orbe ſonet.
Hinc ænigma oritur, cæcis obſcurius vmbris,
Callida quod nunquam Sphinx ſoluiſſe queat.
Credere ſed Vati ſi fas non vana canenti,
Inclyta vos paribus gloria portat equis.

Alexandri Maraſſotti Reſp.

QVi potes Antoni celebres extollere, laudes;
Pindaricoque metro, docte Lucarde refers;
Vt recinant Vates Herois geſta per Vrbes,
Dulceque Apollineo nomen in ore ſonet:
Tu mihi Numen ades, tetris tu ſoluis ab vmbris;
Inclyta vt ingenium promere facta queat.
Sed foret Vranie res hæc oneroſa canenti,
Eſt volucris Famæ quæ graue pondus equis.

De Theriaca Michaelis Angeli Angelici.

Myrrha loquitur.

Ni patris amplexus captaſſem, non mea diris
Vulneribus medicam gutta tuliſſet opem.

Crocus.

Crocus.

Extinxti te, meque pari nece, candida Smilax:
Viuimus at fato nunc ego, tuque pari.

Leucothoe.

Forma mihi nocuit, nocuit magis ira Parentis;
Immo & forma mihi profuit, atque Parens.

Dictamnum, ſeu Dictamum.

Nullæ auſint noſtris contendere floribus herbæ:
Non me Terra tulit; ſed tulit Elyſium.

Roſa.

Olim pro niueo rubrum ſum nacta colorem,
Sanguine cùm tinxit me Cytherea ſuo.

Vipera loquitur.

Serpere humo, & tenera prati latitare ſub herba
Dum licet, infeſto vulnere quemque peto.
Aſt vbi iucundum vitæ mihi lumen ademptum eſt,
Vulneribus medeor corpore ſecta meo.

Eadem.

Ne mea, ne duro contundas, ruſtice, ſaxo
Pectora, ne ſæua cuſpide ſige caput;
Cortice ſed tereti clauſam me deſer in Vrbem,
Angelita vt feriant viſcera noſtra manus.

Eadem.

Diſcite ſanari, noſtri qui ſpicula dentis
Senſiſtis: petite hinc vulneris auxilium.

Ad Michaelem Angelum Angelicum.

O *Quæ perenni carmine fortium*
Diuæ vetatis facta virum mori,
Pallentis Orci dum tenebris
Ad ſuperas reuocatis auras:
Vos, quæ receſſus incolitis ſacros,
Pindique, & Hæmi quæ iuga Phocidos,
Antris relictis, concinentes
Ambroſiis properate pennis.
E celſo Olympi vertice miſſus eſt,
Munus Deorum qui ferat Angelus,
Regesque, & Vrbes imminenti
Seruet ab exitio ruentes.

Manes

Manes ad imos, regnaque triſtia
Præceps venenorum hinc dabitur cohors;
Audax promethei & quidquid vſquam
Calliditas peperit malorum:
Depreſſa opacis toxica noctibus;
Dirumque virus, tartareum genus;
Horrorque, Pallorque, & trilinguis
Spuma Canis penitus latebunt.
Hic nanque doctis abdita paginis
Arcana voluens, Angelica manu;
Veramque, perfectam, omnibusque
Antidotum numeris parauit.
Non hic Galeni ſenſa recludere
Contentus, altum tranſiit æthera;
Nubes relinquens, ac Tonantis
Magnanimus penetrauit Arces.
Hinc Myrrha, qualis cùm petijt patris
Intacta lectum cùm dedit oſcula;
Nec danda, nec ſic à parente,
Sed iuuene à cupido petenda.
Hinc flos renidens, Idaliæ Deę
Seruans cruorem; Sythonia niue
Quamuis, recenti & lacte, & albo
Candidior fuerit liguſtro.
Hinc Thus Sabæum, Malobatrum, Meon,
Decerpta, Nardum, Cinnama, Balſamum;
Fragransque Amomum: hinc & rubentis
Fila Croci, Aſſyriumque Coſtum.

Hæ

Hæc læta ſulcis vſque virentibus,
Quos lenè ſpirans aura Fauonij
Mulcet, fugaci & lympha riuo
Perluit Elyſiis in hortis.
Hinc ſumpta dulcis pocula nectaris:
Hoc fonte fluxit certa ſalus, diu
Optata terris: hinc beatæ
Theriacæ pretioſa merces.
O te ter amplum, ter memorabilem,
Cantu, manuq́ue, & eloquio graui:
Quem prędicem te? ſanguinis ne es
Caſtalidum? an Iouis alma proles?
Plectro ſonanti te Michael, canam
Cælo micabunt ſeu vaga ſidera,
Stellis fugatis, ſiue lucem
Sol nitidis referet quadrigis.
Nunc Vrbs, potenti quæ imperat Adriæ,
Te læta diſcet purpurei, & Patres,
Sceptro & refulgens BEMBVS aureo
Munere perpetuo beabunt.
His te tueri cura erit, haud labor,
Frenant ſuperbas qui Auſtriacum manus,
Claſſesque Iberas: qui Latronum
Iam domitas cohibent cateruas.
Hæc te fouebunt robora Principum,
Virtute Mauors inſuperabili
Quos firmat, inuictosq́ue reddit
Conſilijs animoſa Virgo.

Lætare

Lætare tanto nunc igitur bono,
Partuque tanto, dextera quem Iouis
Telo coruſco, nec tremendi
Vis rapiat truculenta belli.
Extenta latè lumina gloriæ,
Laudum & tuarum fama per vltimas
Diffundet oras, quà ſonoris
Ingemit Oceanus procellis.
Hæc te per Vrbes puniceis feret
Alis, nitentes perque Poli vias,
Mauros aduſtos, ad Bootæ
Plauſtra, & Hiperboreos Triones.
Sed iam increpantes Barbiton auream
Veſtrum Camænæ cingite Laureis
Sertis Alumnum, nos capillis
Nectite floricomam Coronam.

Ad Eundem.

PHæbigenam, exoſus medicas cùm Iuppiter artes
Irarum plenus, flammis, teloque triſulco
Suſtulit, atque Erebi damnauit triſtibus vmbris:
Tum ſtetit Alecto, ſinuoſa in terga repulſis
Anguibus, & rabiolo effata eſt ſic ore ſorores.
En iacet extinctus vaſti populator Auerni,
Et fati domitor. Nunc veſtras ſummite vires
O ſociæ: meditor commune intendere lethum
Gentibus, & penitus Stygias implere cateruas.
Dixit, & ex humeris reuocatos terque, quaterque

Percuſſit torto colubros furibunda flagello,
Vt vomerent atrum Cælo indignante venenum.
Exclamant Furiæ, laudantque inuenta Sororis,
Vipereumque parant terris immittere virus.
Vix dum Tænarijs egreſſæ finibus, auras
Inficiunt primùm; Phœbi tum deinde ſerenos
Obducunt radios, tetra & caligine condunt.
Et iam per populos, perque Vrbes multa virorum
Corpora, multa boum, ſerpentum morſibus icta,
Lethiferaque lue, ſiluiſque, vijſque iacebant;
Cùm Michael celſa ſpeculatus ab Arce Tonantis
Triſte nefas, veteriſque incenſus honore triumphi,
Cùm Phlegetontheum ſtrauit, domuitque Tyrannum;
Non telis ſtuduit cingi, ſed pectore fidens,
Solus in aduerſas auſus contendere Diras,
Increpuit minitans, & totum exterruit agmen.
Vos'ne per æthereas, immanis Monſtra Barathri,
Ire plagas? impunè diem Cælumque videre?
Vos'ne pio generi exitium feralibus hydris
Intentaſſe auſas? Procul hinc, procul ite rebelles,
Ite Orci famulę, atque imo vos mergite fundo,
Semper vbi incendant auidis vos Tartara flammis.
Illæ abeunt, celerique volant pernicius Euro,
Inque tenebroſo Noctis ſe carcere cludunt.
Victor ouans, nubeſque Polo diducit, & almam
Reſtituit Mundo lucem, Solemque reducit.
Dehinc Vrbem, Erethenus leni quam perfluit amne,
Bacchilioque lauat nitidis argenteus vndis,
Intrat, & Angelicum cernens ſplendeſcere ſignum

(Ante

(Ante fores ſignum Michael de more locarat
Angelus) hunc dictis vltrò compellat amicis.
Angele, qui noſtro felix cognomine gaudes,
Aureaq́ue Angelici ſeruas monumenta Trophæi,
Symbola nota domus, noſtri cape pignus amoris.
Pharmaca, queis magni cedant medicamina Regis,
Structa meis manibus trado en, mirabile donum.
Toxica victa cadent, nigroque inflata veneno
Irrita corporibus torquebit ſpicula Serpens.
Hæc fatus, latè Ambroſium diffudit odorem,
Alternansq́ue humeros rutilis ſeſe intulit Aſtris.

Ad Petrum Iuſtinianum Vicentię Pręfectum.

NOn, vt cruentis ſtrauerit aureus
Phœbus Sagittis, indomita & manu,
Pythona, ſquamis, tergoreq́ue horrido,
Genti terribilem nouæ:
Non, vt parentis conſilio obſequens,
Arcu ſonanti, Turribus arduis,
Turbam immerentem perculerit graui,
Natos Tantalidis, nece;
Cantare clarum ſed iuuat, inclytum,
Stellisq́ue miſſum, ſemideum genus,
Quo nec nitentis Luciferi iubar
Cœlo purius emicat.

Aut

Huc fulminantis progenies Iouis
Pimplea dulcis. Non Boreæ ferox,
Non hac proterui ſpiritus Africi;
Non Eurus ſonat imbrifer;
Sed blandientes vſque Fauonij
Spirant ab oris Heſperijs, mouent
Auras tepentes & Zephiri leues,
Adſis purpureo in toro.
Dic Muſa mecum Socratica Virum
Plenum Minerua, pectore ſub pio
Qui verſat almæ nomina Virginis,
Laudeſque aſſiduè, & decus.
Hunc non inanes alliciunt grauem
Spes, non Cupido, aut cæcus amor ſui,
Impellit, huius pectora non fames
Auri ſollicitat ſacra.
Mentis nitorem lactea lilia
Candore vincentis, teneram, & niuem,
Æquare ſi quis carminibus putet;
Dignè aut tollere laudibus:
Idem ſonoras Marmore Cretico
Depreliantes præcipiti Noto
Dicat procellas, aut numeret Poli
Latè ſigna micantia.
Formauit Vrbem moribus aureis,
Iniecit idem frena licentiæ,
Iuſtuſque iuſtum quid deceat virum,
Exemplo docuit nouo.

HE-

HEROS, Auorum ſtirpe potentium
Prognate, priſco, & ſanguine Principum,
Quis te ſilebit, IVSTINIANE? quis?
Quis nomen tranſiliet tuum?
Te noſtra poſcit, te fragilis vocat,
Horreſcit æſtum dum Lybici maris,
Commiſſa vaſtis Cymbula fluctibus,
Laxis atque rudentibus.
Tu ſolue Plectrum, tu Citharam moue;
Nam iure noſtros tu tibi vendicas
Cantus, Camœnæ quos tibi dedicant,
Virtutis ſolidæ Decus.
Te pauper vnà, diues & optimum
Te Ciuitatis voce vocant Patrem:
Matres, Nuruſque, & cum pueris Senes
Certatim celebrant, canunt.
Viues beatus per populos, virum
Perque ora, ouantem cum Adriaco in ſinu
Vlnis fouebit te cupidis Ducem
Regina, ac Domina Æquoris.
Tum nos per alti cæruleas vias
Læti euolantes Atria ad aurea
Dicemus: ò DVX, ò bone, plurima
Viue, ò DVX, bone, ſecula.
Tu tu labantes rebus in arduis,
Sanctum Senatum, purpureos Patres,
Firmabis, alto digna ſilentio
Fundens pectore nobili.

At tu

At tu huic apricos necte prius roſa
Pimplea flores, & breue lilium,
Calthamque: ceſſas? necte & Amaracum,
Narciſſum, Violas, Crocos.
Pergin' corollis ambroſias comas
Vincire? Pergin' Threijciam Chelyn
Tractare? perge, vt te Rhodope procul,
Te miretur, & Iſmarus.
Hunc tolle terras carmine in vltimas,
Noctem decoro lumine quà fugat
Titan quadrigis Oceano ferens
Eoo nitidum diem:
Vel quà, ſupinant dum celeres Deę
Currum, tenebris auricomum caput
Cęcis recondens, ſoluit aheneis
Feßos quadrupedes iugis.

F I N I S.

Errata ita corrigat Lector.

Pag. 19.	verſ. 8.	*paruu ſufficit*]	*parua huic ſufficit.*
Pag. 25.	verſ. 19.	*Si felix*]	*Sis felix.*
Pag. 26.	verſ. 13.	*ſeres*]	*feres.*
Pag. 29.	verſ. 7.	*panat*]	*parat.*
	verſ. 8.	*ethernis*]	*aternis.*
Pag. 44.	verſ. 13.	*manfuris*]	*manſuris.*
Pag. 46.	verſ. 18.	*mdicam*]	*medicam.*
Pag. 54.	verſ. 7.	*Zephiri*]	*Zephyri.*